

„ Nec non Epistolæ ejusdem argumenti La-
 „ tino idiomate conscriptæ, ac typis excu-
 „ sæ, plurimis adductis, atque congestis
 „ Sanctorum Patrum, Summorum Pontifi-
 „ cum, Sacrorum Conciliorum, & Docto-
 „ rum locis. Quocirca, nè in re tanti ponde-
 „ ris error aliquis mentibus Christifidelium
 „ irreperet, libris prædictis de mandato San-
 „ ctissimi mature examinatis, locisque ad-
 „ ductis diligenter inspectis, ac ponderatis,
 „ Sanctissimus relatâ unanimi Theologorum
 „ ad hoc specialiter deputatorum censurâ,
 „ & auditis votis Eminentissimorum, ac Re-
 „ verendissimorum Dominorum Cardina-
 „ lium Generalium Inquisitorum, proposi-
 „ tionem hanc: *S. Petrus & S. Paulus sunt*
 „ *duo Ecclesiæ Principes, qui unicum efficiunt:*
 „ *vel sunt duo Ecclesiæ Catholicae Coryphæi, ac*
 „ *Supremi duces summâ inter se unitate con-*
 „ *jecti: vel sunt geminus universalis Eccle-*
 „ *sia vertex, qui in unum divinissimè coalue-*
 „ *runt: vel sunt duo Ecclesiæ Summi Pasto-*
 „ *res ac Præsides, qui unicum caput constituunt;*
 „ ita explicatam, ut ponat omnimodam
 „ æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum
 „ finè subordinatione, & subjectione S. Pau-
 „ li ad S. Petrum in potestate supremâ, &
 „ regimine univèrsalis Ecclesiæ, hæreticam
 „ censuit, ac declaravit.

Arnaldus Præfationi libri De frequenti
 communionem eandem propositionem inseru-
 isse visus est, vocans *Sanctum Petrum, &*
Sanctum Paulum duo capita Ecclesiæ, que tan-
tum faciunt unum. Hæc propositio magnam
 Arnaldo creavit invidiam, nec alia ipsi, aut
 ejus sociis ad eludendam hæreseos censuram,
 occurrit excusatio, quàm quod propositio
 in præfatione illa, non exprimeret *omnimo-*
dam æqualitatem inter duos illos Apostolos,
 in qua censuræ ratio fundaretur. Verùm non
 sic Arnaldus, aut Quesnellus elabatur. Non
 enim ad evadendam hæreseos notam sufficit
 negare *æqualitatem omnimodam*, quam neque
 asseruere damnatorum operum Autores, sed
 neganda est *omnimoda æqualitas in potestate*
supremâ, & regimine univèrsalis Ecclesiæ, &
agnoscenda, subordinatio, & subjectio Sancti
Pauli ad Sanctum Petrum. Hanc nunquam
 agnoscere visus est Arnaldus, aut Quesnel-
 lus, aut ullus utriusque assecla: quia *subordi-*
natio illa, & subjectio nimium contraria est
 Novatoribus volentibus Episcopos subduce-
 re jugo obedientiæ Romano Pontifici debi-
 tā. Si verò Sanctus Paulus S. Petro subordi-
 natus, & subiectus non fuerit, non est cur
 subordinati, & subiecti fuerint Joannes, Ja-
 cobus, & cæteri Apostoli, qui, quidquid sit
 de zelo, quidquid de prædicationis, aut fan-

Confit. theol. propugn. Tom. 1.

citatis merito, certè potestate Paulo non-
 fuere inferiores. Cùm autem sicut Romanus
 Episcopus succedit Petro, cæteri Antistites
 aliis Apostolis (& quidem omnimodâ pote-
 statis æqualitate juxta Arnalditas) non est
 cur Antistites cæteri Romano subordinati, &
 subiecti dicantur. Satis se Pontifici tribuisse
 Novatores existimant, si eum ut superius
 Quesnellus, agnoscant præcellentem, sicut
inter fratres primogenitum. Nè igitur te, Le-
 ctor, fallat honorifica *Principis Apostolorum,*
 aut ejus *Successoris* appellatio, in qua conce-
 denda Jansenistæ ad fallendos Catholicos
 non usque adedò difficiles sunt; non enim
 Principis nomen apud illos sonat potestatem
 jurisdictionis in omnes eos, quorum Princeps
 dicitur, sed tantummodo dignitatem præci-
 puam, primum locum, ut primus Canonicus,
 primus Scabinus inter suos principem locum
 dicitur obtinere. Sic & princeps Ecclesiæ
 appellatur, quæ cæteris ejusdem civitatis, aut
 oppidi eminet dignitate; etsi in eas nulla ei
 competat jurisdictio. Hinc intelligis, quid
 apud Quesnellum, & reliquos Jansenistas sit,
 Pontificem vocari *Primates Apostolici here-*
dem. Non plus significatum volunt titulo
Vicarii Christi, & quidem Vicarii supremi;
 nam omnes Episcopi, omnes Pastores, omnes
 Sacerdotes Vicem Christi obeunt, ejusque
 sunt in eo munere Vicarii; supremus autem
 est Pontifex Romanus; quia Dioceseos ex-
 cellentiâ & primatûs, ut jam expositus est,
 prærogativâ maximus. Ita Quesnellus cum
 suis, dum blandiri videtur Pontifici magnis
 nominibus, non nisi pulverem in legentium
 oculos injicit, ut obcæcet.

De simili hæreticorum ad decipiendos
 Pontifices fallaciâ sub impietate Samariæ vi-
 detur vaticinatio Michæas: *Veni usque ad*
Judam, & tetigit usque ad portas populi mei,
usque ad Jerusalem. In quod S. Hieronymus
 observat: *Portas illa quidem tetigit; sed Ur-*
bem mediam intrare non potuit. Aut si perfida
 sanctitatis simulatio, ut in Quietismo conti-
 git, aliquandiu vigilantiam supremorum
 Judicum elusisse videatur, damnationemque
 distulisse; divino tamen spiritu Pontificibus
 assistente sit, ut ea sententia non alium in fi-
 nem tanto tempore suspensa appareat, quàm
 ut matura libratio hæresim feriret fortius, ac
 certius prosterneret.

Osculari se Quesnellus simulat Sanctissi-
 mi pedes, cujus caput veluti vanitate, & er-
 roribus plenum, cor velut ambitione corruptum
 calumniatur. Sed & hæreticorum oscula,
 non minùs quàm sicariorum suspecta sunt.
 Osculantur hostes, & amici, illi prodicionis,
 hi benevolentiae affectu: osculo Judas Chri-
 stum